



Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt IX. Quae Patres in propositi Decreti forma de peccato Originali obseruarunt: praesertim, an in renatis supersit aliquid odiosum Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

1546.

Bonuccium Ioannes Baptista Campeggius Maioricensis An-
stes acriter incusauit, quasi & prius in concionibus, & postea in
congressibus ad hæreticos propinquasset. At Bertanus amborum
dictum explicauit, tamquam per laxiorem, minusque propriam si-
gnificationem prolatum; quod Sanfelicius silentio, Bonuccius ac-
curatâ oratione comprobauit, in qua exponere conatus est in qua
re conuenirent, in qua dissenserent Catholici & Lutherani de pe-
ccato Originali. Adiecit, se in superiori sua disputatione habuisse in
animo non hæreticos excusare, sed Patres admonere, vt profi-
ctionis verba essent eiusmodi, quibus hi solûm, non item Catholi-
corum opiniones castigarentur. Seripandus quoque arbitrabatur,
in eorum concupiscentia, qui Baptismum suscepserant, aliquam in-
esse rationem peccati, quatenus eadem animum ad peccandum in-
clinat: sed eo die communi existimationi acquieuit; sibiique tem-
perauit, ne propugnatorem ageret illius sententia, quæ passim op-
pugnabatur, nisi bene digesto apparatu prius instructus, qui vel ad
victoriam, vel ad honestam pugnam satış esset.

CAP V T I X.

*Quæ Patres in propositi Decreti forma de peccato Originali
obseruarunt: præsertim, an in renatis superfit
aliquid odiosum Deo.*

Decretum itaque ex Patrum consensu, de rei summa conve-
nientium, conformatum à selectis ad id viris, fuit generali
congressui octauo die Iunij propositum, ut ipsius tenore es-
penderetur. Dicebatur ibi, Adamum ob transgressionem amissæ
sanctitatem, in qua fuerat *creatus*. Hæc postrema vox communata
in *confititus*, Paceco monente, non esse citra controueriam, an
Adamus interiorem sanctitatem obtinuerit primo quo *creatus* fuit
momento: unde patet, quām infirma deducatur à quibusdam pro-
batio ad id affirmandum ex verbis Concilij, quæ nunc extant.

Habebatur eodem Decreto, totum Adamum ob culpam in de-
terius secundum corpus & animam fuisse mutatum, nullâ etiam ani-
ma parte illæsa. Hæc postrema verba deleta sunt, quod videbantur
sensus etiam comprehendendi. Cùm autem diceretur ibi, id quod tunc
legitur, per Baptismum non solùm reatum Originalis peccati remitti,
sed etiam tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habe,
nihil in priorem partem reclamatum; at posterior visa est nonnullis
super-



superuacanea. Seripandus malebat dici, *omnem rationem peccati tolli*: 1546.
Cauenſis, *tollit omnia peccata*; sed ceteris Decretum ita probatum.

² Grauior exorta disputatio de illa particula, per quam affirmabatur, in renatis nihil Deum odisse. Obiecit Seripandus, Cūm *concupiſentia* sit origo peccati, non posse à Deo eam odio non haberi; adeoque vniuersalem illam enuntiationem negantem esse falsam: in quo viſus est Polus ſubſttere. Sed ex altero capite eruditè h̄c diſcretūit; Quamquam ipſa peccati primigenij natura valde lateret, effecta tamen, ac mala inde transuſa in humanum genus, tam in appetendi peruerſitate, quām in obſcuritate intelligendi, etiam Philoſophiæ lumini fuifſe perspecta: vnde quod ad priorem ſpectat, Ariftoteles, Monarchiæ & Polyarchiæ incommodis inter ſe collatis, inter Monarchiæ detrimента connumerat, vniuſ hominis appetentiā ſēpē ſui eſſe impotem ab abſtinenduſ ab iis malis, ad quā Natura propellit: de altera Socratem pronuntiaſſe, Se poſtquam diu fuifſet philoſophatus, aliud non didicife, niſi ſe nihil ſcire. His incommodis conſultum ab humana prouidentia per leges ac documenta; ſed nullum illis ſatis efficax admotum remedium, niſi per eam redēptionem, quam Filij Dei mors obtinuerat. Addidit: Reliquas Decreti partes ſibi probari; tantummođ ſe dubitare in rencenſitis verbis, quibus dicitur, In renatis nihil ſuperelle odiosum Deo. Etenim S. Paulus haud ita generatim hac in re loquitur, vt Decretum loquebatur; ſed reſtrictiū affirmat, in renatis, qui ſunt in Christo, nihil eſſe odiosum Deo, adeoque de cunctis renatis id neutiquam ab eo diſtum. A ſanctis etiam viris quotidie eam petiſionem iterandam eſſe, *dimitte nobis debita noſtra*: igitur in ipliſ pariter ineffe aliiquid quod Deo non placeat.

³ Studuit h̄ec obiecta Bertanus euertere: ac primò quidem conſiderauit, ab iis qui Decretum confeceſerant, ſelectam conſultō fuifſe vocem *renati*, non autem *baptizati*; cūm fieri poſſit, aliquem poſt ſuſcepturn Baptiſma perſiſtere adhuc odiosum Deo, eđ quōd Ba‐ptiſma non ſuſcepert parato ut oportebat animo; at non item, ſi re‐natus fuerit: vnumquemque verē renati qui in fonte Baptiſmatis fit cum Christo ſepultus, prout habet Decretum. Ad propositam dein quæſitionem progreſſius, deſenſionemque commemoratæ particulae, dixit: Tametī concupiſcentia à cæleſti Regia excludatur, non idcirco à Deo ſuis in ſeruis terras incoletibus eam odio haberi: membrorum quoque imbecillitatem, ceteraque corporis miſeriaſ arceri ab eo domicilio perfecte felicitatis; & tamen eas cum Dei Filio habitasſe, in quo certum eſt, nihil Patris oculis odiosum fuifſe.

1546. fuisse. Bituntinus concedebat quidem, concupiscentiam non esse
Deo inuisam; sed restringendum putabat Decretum ad culpas
iam leuiores, quibus renati quoque asperguntur.

Seripandus, quod suam sententiam simul sustineret, simul penit-
nacia notam vitaret, opinionem non suo, sed Poli nomine indigne-
uit, & cum ea epigrapha accuratum commentarium elaborauit.
Obseruabat, si Patres ponerent, nihil inesse in renatis odiosum
Deo, colligendum hinc esse, nihil in iis relinquere ope Diuinā pug-
gandum, nihil reprimendum, nihil contra quod pugnandum: quæ
omnia diuinorum Oraculorum dictis aduersabantur. Haud fatus
quadrare exemplum à corporis miseriis, quæ erant in Christo, pe-
titum: eas ideo cælum non ingredi, quia plenæ felicitati oppo-
nuntur; at non propterea digna esse, quæ à Deo habeantur odio;
quippe quæ nihil peccato militant: appetitionem verò voluptatis,
bellatricem dici posse, quæ victorias omnes peccato parit. Patre
ex multis Augustini locis, ipsam Deo displace: eamdem esse mihi
illud, à quo liberari efflagitant etiam Sancti per preceptionem,
quam nos omnes Christus edocuit, quamquam ab ea appetientia
non nisi in perenni vita perfectè liberentur: ex Augustino con-
cupiscentiam non esse naturæ proprietatem, quod multi rebantur, sed
corruptionem perduellionemque naturæ: proinde videri sibi eas
voces remouendas, *In renatis nullam remanere iniquitatem, sed magno*
tamen manere infirmitatem: quæ tamquam Deo displace: per omnem ci-
tatem curanda sit, donec Deus ipse sanet omnes languores nostros, & redam
de corruptione vitam nostram. Ad infringendam testimoniorum effi-
ciam, quibus concupiscentia peccatum in Scriptura nominatur, ni-
hil valere aliorum nominum exempla interdum per metaphoram
adhibitorum: in illis semper elucere peculiarem rationem, cur
Scriptura per significationem propriam non loquatur, hic è disser-
to; cum Augustinus doceat præterea, concupiscentiam aduersus spí-
ritum decertare, nouum argumentum haberi, ipsum proprie-
scribere.

His aliisque rationibus usus est Seripandus; quæ tamen Patri-
bus nequaquam persuadere Decreti mutationem, cum ex ipsius tex-
tura liquido constaret, ibi significari odium illud, quod *inimicitus*
vocatur, & quo dicimus hominem ab homine odio haberi: quod
odium verò inesse Deo nequit in eum, qui adoptivus Dei Filius est
renatus: non tamen hinc excludi ab illis omnem profus labecu-
lam, quâ minus pulchri coram illo reddantur, & quam auerser
in ipsis eo odio, quod *displace: nominatur;* quæ labecula, aut le-
uiorē

uiores culpe sunt à Polo ac Bituntino obseruata, aut earum fodina, quæ concupiscentia est: eaque propter vtræque à naturali Dei Filio procul fuerunt, etiam inter huiuscem vitæ miseras. Atque in eadem pariter significatione post longam disceptationem perlitere in Decreto posteriora verba, quibus dicitur, *Concupiscentiam haud nocere non consentientibus; intelligendo per vocem nocere, æternum damnum, cuiusmodi est Diuinæ gratia iactura; & nomine consensu, plenum ac deliberatum: tametsi cunctis alioquin illa nocet aliquo pacto, ut quæ puluerem leuiorum noxarum insperat; quamquam omnes ipsis aliquâ ratione consentiant, per imperfectam & quasi surreptitiam confessionem.*

Equidem nequeo non admirari insultos Suavis sales, dum ait, Germanos habuisse summam gratiam Synodo, quod enuntiationem confessâ fuerit: quam si negasset, cogebatur vnuquisque eam denegare per Fidei firmitatem sensu reclamante, quo experimur, etiam post Baptisma susceptum in nobis concupiscentiam vigere. Inprimis Concilium non id affirmat definiendo, vel docendo; sed dum argumento Lutheranorum responderet, concedendo eam assumptionem euidentem, & negando prauam consecutionem, ab illic inde deductam, hoc est, Baptismo peccatum haud extingui. Secundò num latebat SuaueM. Stoicos inter Etnicos Philosophos, & Pelagianos inter hæreticos affirmasse, posse hominem in terra cunctis prauis affectionibus animum suum perpurgare: adeoque haud ineptum futurum fuisse, si hunc errorem damnaret, grauiter à SS. Patribus impugnatum, quippe Scripturæ sacræ aduersantem, vbi nos ea docet de corruptione naturæ ab Adami peccato profecta?

Postremò deleta est Decreti periodus, quâ dicebatur, non improbari à Synodo nouam illam positionem Scholasticis visitatam, aentibus, Manere post Baptismum partem *materialem* Originalis peccati, non item *formalem*: seu quod nollent Ecclesiæ auctoritatem intermisere opinantium doctrinis; seu quod, vbi definitio[n]es concipi possent veterum Patrum vocabulis, ea nollent à Theologis recentibus mutari: cùm venerationi conductat non modò sententiarum, sed etiam vocum antiquitas; & cùm quandoque induimenti mutatio causa interdum sit, ne vnuis idemque pro codem habeatur.

Pars I.

Rrrr CAPVT